



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dies Cinerum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda. Veniamus igitur ò fili! ad templum Domini, & recitantes *Psalmos graduales* scelera impediamus gravissima. Filii est, defendere Patris honorem.

Dies Cinerum.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid audimus? *Memento homo, quia pulvis es.* Eamus ad sepulchra! videbimus ubi cadat omnis humana felicitas, & opum, ac voluptatum potentia. Videbimus, ubi & justorum finiantur labores, & præmiò coronentur perenni. Fili! disce quotidie mori, & coronaberis.

Instructio meritoria.

Defunctorum recordatio est nostra ad bonum excitatio. Oremus hodie vespas ex officio defunctorum: Et si fieri potest etiam cæmeteria visitemus. Infirmus fui, & visitastis me.

II.

In quo consistit vera cordis poenitentia? nunquid externâ tristitiâ? nil

B 6

minùs.

minùs. Sic tristantur hypocritæ. Nos gaudeamus in Domino, maximè, dum sumus in jejunio. Hilarem datorem diligit Deus.

Instructio meritoria.

Hanc spiritûs lætitiã ut corde, & ore proferamus, post refectionem vel in templo, vel in cubiculo intonemus *Te Deum Laudamus*. Ululent inferi! gaudeant pii.

III.

Satis litatum gustui, & sensibus! quid enim inde, ò fili! traximus lucri? Caput grave, stomachum nauseabundum, vires languidas. Hi fines sunt eorum, quæ corpus appetit, gaudiorum. Verùm infirmo opportunam porrigit medicinam ecclesia, sacrum jejunium, quod corpora sanat, & animas sanctificat.

Instructio meritoria.

Initium hodie est S. Quadragesimæ. Bona igitur nobis conscribamus opera, licentiã R. Patris Spiritualis per hos sacre quadragesimæ dies solerter exercenda. Recordemur abstinentiæ, pro qua obtinenda

nenda adhuc hodie unô cibô carebi-
mus, recitantes hujus locô 15. *Pater &*
Ave cum oratione : *Concede nos famu-*
los, quasumus, mentis, & corporis sa-
nitate gaudere &c. Mortem petit, qui
ciborum superfluitatem.

Dominica I. Quadragesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUod Paulus prædicavit suis Corin-
thiis, hoc ego spirituali an-
nuntio Clienti. Ecce! nunc tem-
pus acceptabile! ecce! nunc dies salu-
tis. Ecce! tempus, ubi sua diluat pec-
cata, expungat pœnarum debita, & sibi
insignia tum virtutis, tum sanctitatis,
procuret merita. Nundinæ sunt: Quis
lucrum negligat?

Instructio meritoria.

Pro felici igitur S. Quadragesimæ au-
spicio offeratur sacramentalis commu-
nio cum *Litaniis de omnibus Sanctis*.
Multis precibus redimuntur neglecta
tempora.

B 7.

II. Ut